UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Vincentii Lerinensis Galli, Libellus Verè Avrevs Adversus profanas Hæreseōn novationes

Vincentius <Lerinensis>

Coloniae, 1652

Caput XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-55177

Visual Library

CAPUT XXI.

VEhementer enim præcavere debemus, ut Chriſtum nõ modò unum, ſed etiam ſemper unum confiteamur: quia intoleranda blaſphemia eſt, ut etiamſi nunc eum unum eſſe concedas: aliquãdo tamen non unum, ſed duos fuiſſe contendas: unum ſcilicet poſt tempus baptiſmatis, duos verò ſub tempore nativitatis. Quod immenſum ſacrilegium non aliter profectò vitare poterimus, niſi unitum hominem Deo in unitate perſonæ, non aſcenſu, vel reſurrectione, vel baptiſmo, ſed jam in matre, jam in utero, jam denique in ipſa virginali conceptione fateamur: propter quam perſonæ unitatem indifferenter ei atque promiſcuè, & quæ Dei ſunt propria, tribuuntur homini, & quæ carnis propria adſcribuntur Deo. Inde eſt enim quod divinitùs ſcriptum eſt: Et filium hominis deſcendiſſe de cœlo, & Dominum majeſtatis cruci-

cifixum in terra, inde etiam eſt, [illegible]
carne Domini facta, carne Domi[illegible]
creata, ipſum Verbum Dei factum
ipſa ſapientia Dei impleta, ſcien-
tia creata dicatur: ſicut in præ-
ſcientia manus ipſius & pedes ſo[illegible]-
ſi eſſe referuntur: Per hanc, in-
quam, perſonæ, unitatem illud
quoque ſimilis myſterii ratione
profectum eſt, ut carne Verbi ex
integra matre naſcente, ipſe Deus
verbum natus ex virgine Catholi-
ciſſimè credatur, impiiſſimè dene-
getur. Quæ cùm ita ſint, abſit ut
quiſquam ſanctam Mariam divi-
næ gratiæ privilegiis, ut ſpeciali
gloria fraudare conetur: Eſt enim
ſingulari quodam Domini ac Dei
noſtri, filii autem ſui munere, ve-
riſſimè ac beatiſſimè theotocos
confitenda. Sed non eodem mo-
do theotocos, quo impia quædam
hæreſis ſuſpicatur, quæ adſerit
eam Dei matrem ſola appellatio-
ne dicendam, quæ cum ſcilicet
pepererit, hominem, qui poſteà fa-
ctus

ctus eſt Deus, ſicut dicimus preſbyteri matrem, aut Epiſcopi matrem, non jam presbyterum aut Epiſcopum pariendo, ſed eũ generando hominem, qui poſtea preſbyter vel Epiſcopus factus eſt. Non ita inquam ſancta Maria theotocos: ſed ideò potiùs, quoniã, ut ſupra dictum eſt, jam in eius ſacrato utero ſacroſanctum illud myſteriũ perpetratum eſt, quod propter ſingularem quandam, atq; unicã perſonæ unitatẽ ſicut Verbũ in carne caro, ita homo in Deo Deus eſt.

Recapitulatio prædictorum à capite XVII.

CAPVT XXII.

SEd jam ea, quæ ſupra de memoratis hæreſibus, vel de Catholica fide breviter dicta ſunt, renovandæ cauſa memoriæ breviùs ſtrictiuſq; repetamus: quo ſcil. & intelligãtur iterata plenius, & firmius inculcata teneãtur. Anathema igitur Photino, nõ recipienti plenitudinẽ Trinitatis, & Chriſtũ hominẽ tantum-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN